



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...

Libris Quatuor Comprehensa: Vbi praeter res gestas à Patribus Societatis Iesv in conversione Sinarum, Cocincinae, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quae possunt liberali placere Lectorum curiositati

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1670

Lectori.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10757



LECTORI.

SINARVM imperio, Cocincinam, & Tun-
chin literarum iungit, & religionum
communio; sed magis clientela. Hic mihi
triplex historiæ campus, in quo nouæ
Christianitatis regna explicem tria, Societatis Iesu
laboribus fundata, & Ecclesiæ capiti coronas tres
additas, quibus ante annos octoginta caruerat.

In his dabo spectandum conatus quàm arduos
fudarit, perfringendis in Sinas, quos primum ag-
gressa est Euangelio pandere, difficultatum obsta-
ntium molibus; expeditiones referam infinitis, &
grauibus tædiis lentatas; nec minus generosè quàm
patienter ad vltimum duratas. Etsi (quod solet spes
magnas frangere) multorum annorum contentio-
nes operosas, momentum sæpè infaustum dissi-
ceret, essentque subinde à capite iterandæ: hand qui-
dem propterea quòd tanto molimini, robur impar
afferrent Apostolici præcones, aut prudentiam im-
parem legendis in optatum finem admouendisque
præsidis; sed quòd ea erat Sinarum indoles vt ca-
pi non possent nisi dissimulato penitus animo, &
cogitatione.

LECTORI.

cogitatione capiendi. Euoluam ingenium suspicax nationis, umbras quoque inanes pertinaciter metuentis, dabo eius proprium characterem, studium impotens aduersus patriam quod Sinas facit sui perditè amatores orbi reliquo infensos; excludendis vero aditu, imo & aspectu extraneis, sic obstinatè immobiles, vt curioso apud nos aduenæ non possit seueriùs arcis obsessæ ingressus intimus præcludi. Nec vero illa qua se merito iactant politica dignitas sinebat aliter ab iis consuli; ea enim capti delirantésque persuasione, tanquam certissima, patriam suam mundi oculum esse, ad eamque mortales vniuersos velut beatitatis sedem inhiare, quod natura embelles armis non poterant, cauendum ingenio putarunt, eoque vsu docto, & literata prudentia formato, quæ metu, consiliario optimo, rectè illis suafit, non posse tutius ab Externis regnum esse, quam si externum intrò admitterent neminem.

Admissus est tamen P. Matthæus Riccius, & primum exceptus humaniter, mox inde turpiter expulsus; nec humanitatis neglexit fructum, nec expulsionem illa reditum desperauit; sed aliquo vsque, furtim gradu suspenso profecit, futuri sic affectans, ne præsentem iam partem excideret. Post ergo sexcentos multorum annorum ambitus, propitium occupans diuturni voti articulum, immisit sese intra regni portas æterna septas custodia, penetrauitque

LECTORI.

uitque in eius intima procerum benevolentia gratulante, & mirantibus virum Literatis; huiusque aditus apertas semel angustias, laxauit sensim, lecturis sua vestigia fociis, qui magno post ipsum numero Christi crucem illis populis intulere. Quod secundum Deum exquisitæ quidem cordati viri prudentiæ, cum singulari pietatis studio coniunctæ, accepto ferendum est, tunc verò acceptum est, ut solent, quæ magnis re ipsa progressibus, sed in speciem tacitis & humilibus agitantur, ridebat illum quos sua conditio, & auersus ab eo animus, longius quàm ipsa regio diuidebat, sugillabantque passim disteriis, velut aliud agentem, & mora inani, curiosa otia prætexentem. Ast vbi denique sinistras expectationes, dissimulatæ operæ illustres euentus peruicere; tunc demùm Goa, vsque Philippinas, omnes in eum oculos vertere, deprædicare alij eius nomen, alij gloriæ inuidere, nec iam superest quisquam, qui tam gloriosos quàm inopinatos fructus heroicæ expeditionis eius sapientiæ non assignet.

Sed cum obscuris ferè principiis nitantur magnæ res ut quæ solido contentæ, speciosum facilè negligunt; vereor ut possim minori legentium tædio, fidei Sacrosanctæ, iacta in hoc orbe semina scribere, quàm fuerint in iis iaciendis Ricci j tædia, & arumnæ. Ac foret opinor iucundius si narrationem il-

L E C T O R I.

lorum ieiunam præuenterem breui aliqua ostentatione messium immensarum quas prima illa sterilitas edidit; hoc est liberæ potestatis, Euangelij sacri, Sinarum imperio importandi, & circumferendi per quindecim illius regna; innumerabilis ubique populi, ex aperto idolorum cultu, & latente athia diuinitatis eiurata, ad Christum publicè traducti; Deorum fictilium infinitatis monstrosæ, cultorum suorum manibus disiectæ, comminutæ, ignibus consumptæ. Ad hæc si præmitterem obiter illorum suis cum Professoribus insanis spretam & derisam Theologiam, dehonestatos palam sacrificulos Bonzios impietatis ac turpitudinum Doctores; indicarem & libros de diuinis, ingenioso illo Sinarum idiomate ac stylo scriptos, editos, nullo non loco, & pago vulgatos à nostris hominibus; templa vero Deo aduersum superbas falsorum Deorum extructa basilicas & populorum concursu frequentia: Principes è Regio sanguine, ex amplissimo ordine Mandarinis, Eunuchos aulae præcipuos, illustres feminas, Constantinum alterum, alteram Helenam, & Annam alteram Imperatoris matrem, vxorem, & filium, initiatos sacro fonte, quodque omnibus forsitam pluris sit, sanctimoniam illius Christianitatis in qua nascentis Ecclesiæ aurea tempora redisse visa sunt: de illa enim Riccij semente miserabili, & strigosa, vbertas hæc incomparabilis

LECTORI.

comparabilis extitit; at si penitus non erro, iis quoque per se initiis, sed perspicaci oculo æstimated, sua inesse præstantia, concedetur & quædam horroris pulchritudo, illi haud prorsus absimilis qua Romanæ parens historiæ suum recreat lectorem, dum illi Hannibalem exhibet feroci exercitu Italiam petentem, perque rupium inaccessiblei, igne sibi & ferro, angustos aditus, & multum sudatos, magnis viribus parantem, tam difficili processu ut essent non raro lapsus passibus crebriores, & ascensu ruina productior. Delectant hæc tamen suo ipso horrore, nec fortè parcius quàm post Transimenum, Cannæ, & Trebia ex tam formidandis principiis celebrata.

Accedet his necessario, rerum nouitas extra Europam; indoles incolarum; mores vernaculi; Reipublicæ administratio; ingeniorum temperies; scientiæ, instituta, ritus quæ ciuiles, quæ sacri, & talia quæ nisi sciantur vix vsquam alibi obscurior quam in hac historia titubet, incerta, & palpanis narratio. Quamobrem aliqua subiinde interferenda fuit peculiaris notitia, præter integram Sinarum imprimis, Cocincinæ postea, & Tunchinæ; nec iusto breuiorem, nec prolixam, legenti ut reor placituram. Quæ tamen tractandis passim argumentis perspicuitatem datura videbuntur, ea loco & tempori ex memoria dictorum sic reddam,

LECTORI.

dam, vt paucis versibus non tàm memores offendant, quàm oblitos delectent, velut denuo nomina alteróque iterum ex orbe, nobisque barbaro reuocata.



P E R M I S S I O N.

IE n'empesche pour le Roy que la permission soit accordée audit Sieur D E M E N, pour l'impression de la troisième & dernière Partie de *l'Histoire Asiatique* du R. P. B A R T O L I Iesuite, à la forme du Priuilege cy-dessus. Fait A Lyon ce 26. Aoust 1669.

G A L L I A D.

SOit fait suiuant les conclusions du Procureur du Roy. Ce. 26. Aoust 1669.

D V L I E V..